

V I R O

Maxime Reverendo, Amplissimo ac Excellentissimo

Za
5325

DN. JOH. CHRISTFRIED
SAGITTARIO, x 2047586

SS. Theologiæ Doctori, Ecclesiarum Ducatus Altenburgensis Superintendenti Generali, Concionatori Aulico primario & Hagio-Synedrii Assessori

Neptem ex filia dilectissimam

REGINAM MARIĀ,

V I R I

Præ-Nobilissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi

DN. JOH. ARNOLDI FRIDERICI,

Philos. & Medic. Doctoris, Anatom. Chirurg. & Botan. in Illustr. Salana Prof. Publ. & Medici Provincialis Saxo-Altenburgici b.m.

Filiam unicam,

V I R O

Nobilissimo, Amplissimo atq; Excellentissimo

DN. SALOMONI AUGUSTO CLAUDERO,

J. U. Licentiato & Caularum Patrono felic.

IV. Non. Nov. A. C. clc lbc LXXXVI.

ex voto elocanti

Pietatem suam testari voluit, debuit

filius

M. Paulus Martinus Sagittarius, Eccl. & Consist. Ass.



ALTENBURGI,

Chalcographæo G. Richteri, Typogr. Duc.





Nnum vitæ *septuagesimum* septimo & vicefimo Septembris die votis, gaudio & gratulatione tuorum es ingressus; egressus vero nudius tertius annum Ephoriæ Altenburgensis administratæ *trigesimum*, quem nullus duodecim Antecessorum attingit. Si memori beneficia recolis mente, quæ tot annorum decursu divina manus largo tibi munere contulit, cum Jacobo Patriarcha grato fateberis ore: *Minor sum, Domine, omnibus tuis miserationibus*. Multa tibi *puero* utroq; Parente quarto ætatis anno orbatō beneficia benignum Numen concessit: plura præ septenario fratrum sororumve numero tribuit *juveni* ab omnibus studiorum præfidiis destituto: plurima dedit *viro* ab infima dignitatum Ecclesiasticarum scala ad supremam hoc in Ducatu, sic jubente Serenissimo Patriæ Patre, FRIDERICO WILHELMO II. felic. recordationis, non sine suspiriis ascendenti. Nec minora numero extiterunt, quæ *seni* voluit impertire. Exponerem beneficiorum seriem, si per te liceret, nec ego satius fore ducerem, eorum numerum privatos intra parietes tecum inire. A me tamen vix ac ne vix quidem impetrare possum, quin unius alteriusve beneficii mentionem injiciam, quod in te *senem* collocatum. Ex conjugē *Anna Maria Reinelia*, cum qua quatuor & quadraginta annos suaviter transegisti, *undecim* suscepisti *liberos*; *quatuor* cœlestibus dicasti nuptiis, terrenis reliquos. Ex his *nepotes neptesq; triginta* vidisti: dimidium oculis & amplexibus tuis jam tum est sublatum, dimidium alterum *Coronæ* instar te cingit. Non aberravero, quod nepotes neptesq; *coronæ* nomine appellaverim; Hoc siquidem nomine splendor ille sapientiæ & unica illa regni Israëlitici gloria Salomon in Ethicis Christianis c. XVII. 6. nepotes neptesq; dignatur. Sicut corona capiti totiq; corpori egregium conciliat decus, & coronati animum gaudio reddit delibutum: ita nepotum neptumq; corona *Avi* caput cingens non potest non decus & lætitiā ei adferre. Eo respexere interpretes Syrus & Chaldæus, nec non Vatablus, quorum iste vocabulo *laudis*, ille *pulchritudinis*, hic *ornamenti* Ebraicam vocem reddiderunt. Totus in lætitiā effunditur *avus*, si nepotes neptesq; oculis suis sistit; sperat namque in illis se fore immortalē, suiqve memoriā ad secura secula iri propagatū. Multum sane lætitiæ allatum tibi, nec parum lacrymarum simul fuisse excitatum, quoties tua nepotum neptumq; corona te circumdedit, nondum excidit memoria. Licet enim non videris 45. nepotes neptesq; ut *Jacobus Rudinus & Petrus*

*rus Meier, Consul Episcopopolitanus, aut Ios. quod
Wolffango Schotterlino, Civitatis Argentoratensis Ma-
gistro spectare contigit; tuæ tamen lætitiæ nihil quic-
quam inde decessit, quin potius cum nepotum neptum-
que incremento annua cepit incrementa, teq; in aurem
monuit, ut reliquis beneficiis divinis & hoc, videre libe-
ros & quæ nascuntur ab illis, gratus apponeres; appo-
suisti etiam additis debitis gratiis. Cum ergo idem
beneficium, quod Isaacus, Jacobus, Josephus, Tobias
aliiq; pii, à Deo senex obtinueris, quid vetat, quo minus
regii vatis verba Ps. CXXVIII. 4. 5. 6. de te adhibeam: Sic
beneficiis cumulabitur vir, qui coluerit Jehovam: bene-
fecit tibi Jehova ex Sion & vides natos natorum. Huic
beneficio aliud adhuc nunc adjicit Deus, quod mille vo-
tis expetiisti, dum majori ex neptum corona *Reginæ Ma-
riæ Fridericiæ* de marito optimo prospicere nuptiasq; illi
parare tibi datur. Magnum est, fateor, Dei beneficium,
nec minus apud te gaudium: majus tamen foret & be-
neficium & gaudium, si ipsis parentibus facem nuptiis fi-
liæ oculissimæ accendere per præmaturam mortem li-
cuisset. At, num beneficium divinum ea propter in vili-
ori pretio, aut gaudium diminutum habebis? Non ha-
bebis. Cognitus mihi perspectusq; tuus est animus
in mediis etiam turbis præsens & mala, si quæ advenc-
re (advenerunt autem plurima) in forulos beneficio-
rum divinatorum conjiciens. Eripuit Deus *nepti patrem*
florentissimæ ætatis, ut patri Senex succederes: eripuit
ipsi *matrem* ejusdem cum conjugæ ætatis, ut matri avia
præter votum & naturæ ordinem surrogaretur. Uti
in quavis cura Genero & filiæ: ita in apparandarum nu-
ptiarum cura utriq; successisti. Gaude de hac cura;
curas enim nuptias neptis à primo vitæ limine tibi
dilectissimæ: Gaude de nuptiis neptis; nuptum si qui-
dem das Sponso, cujus *Parens*, quoad viveret, vete-
rem eamq; infucatam amicitiam tecum sanctissime
coluit: traxis Sponso, cujus *Patruus* Genero tuo *Fri-
derico* fide Theseja junctus & comes studiorum ac iti-
neris extitit fidissimus: concedis Sponso, qui primus
gentis suæ *supremos in Jure honores* à Salano Jcto-
rum Senatu retulit, novumq; decus familiæ suæ in-
tulit. Princeps Facultatum *Theologia* ex domo Clau-
deria *Jacobum*, Ephorum *Delitianum*, sibi selegerat.
Medicina, naturæ famula, *Josephum & Gabrielem*,
Archiatros *Altenburgenses*, *Christianum Ernestum*,
Physicum *Cycneum*, & *Fridericum Wilhelmum*, ope-
ram Medicam patriæ conferentem, svavi connubio
sibi sociaverat. Sola *Jurisprudentia* alumnum ex
prosapia Clauderia desiderabat, quem divini humani-
q; juris scientia imbueret, cui virtutis præmium de-
cerneret: in Sponso invenit desideratum & eodem
brabeo, quo *Theologia & Medicina quinq; Clauderos,*
&*

FK
La
5325

& sextum ornare voluit. Ingens familiae *Schræteria* de Salana meritissimæ est ornamentum, quod *quinq;* *Doctores*, duos Medicinæ & tres Juris numeret. Singulare *Gerhardorum* censetur decus, quod totidem recenscat *Doctores*, *tres* Theologos & *duos* Jurisperitos. *Pistoriis* cedit honori, quod *septem* *Doctoris* titulo decorati ferantur, *tres* à Galeno, & *quatuor* à Justiniano. Inter prima gens antiqva *Færsteria* meritis erga Seren. Domum Saxoniam maximè conspicua reponat, quod ex ea tanquam ex equo Trojano *undecim* prodierint, quos alma Themis justis honorum præmiis maectavit, exemplo profecto rarissimo. In quavis tamen harum familiarum quidpiam desiderabis: *Schræteria* & *Pistoria* deest Theologus, *Gerhardina* Medicus, & *Færsteria* Theologus & Medicus. *Clauderio* autem generi nec Theologus, nec *Jctus*, nec Medicus deest; & quod hætenus ipsi defuit, Sponsus honore novo nunc supplevit. Gaude proinde de nuptiis neptis exoptatis: gaude de insigni beneficio divino, quod *Septuagenarius* experiris. De *Machire*, Manassis filio, refert nascentis mundi Historicus Moses Gen. L. 24. quod super *Josephi* avi genua genuerit liberos. Faxit Deus benignus, ut *Regina Maria*, *Anna Magdalena* filia, latus *Clauderi* claudens, te vivo & superstite procreet liberos, & sicuti *avum*, ita quoque te *proavum* faciat! Sic novo in senio tuo beneficio afficeris, tuosque *in tertiam usq;* *generationem* videbis, quod ipsum Judæi sibi invicem apprecabantur. Quod superest, venerande Parens, votorum meorum summam paterno accipe affectu. Deus omnium beneficiorum autor nepti *Claudero* adlateratæ conjugium concedat felix benedictione cœlesti, sanctum castitate, beatum sobole, jucundum concordia & opibus florens; Tibi vero vitæ usuram ad summum à Mose præfixum terminum & ulterius adhuc extendat, sufficiat animo corporiq; vires laboribus tuis pares, & senectam largiatur vegetam atq; tranquillam, quo Ecclesiæ, pauperibus, conjugii, nobis diu præsis, & neptem, quæ *Fridericiam* proximè excipit, teque tenerrimo amore complectitur, honesto matrimonio elocatam videas, lætusq; in ædem sacram deducas: Ita cumulo beneficiorum divinorum perfusus non in memoriam solum ea revocabis, sed & cum Davide gratus exclamabis: *Quid Domino pro omnibus, quæ mihi meisq; tribuit, retribuam?* & cum Damasceno l. IV. de orth. fide c. 4. *Euge, ò Christe, Dei verbum, & sapientia, & virtus, & Deus omnipotens, quid tibi pro his omnibus egenus ego retribuam? Tua enim omnia.* Plura non addo. Bene vale & nuptias neptis auspicas precibus, voto, hilariq; animo auspicare, transige, fini.



F.R. III 16

V I R O

Maxime Reverendo, Amplissimo ac Excellentissimo

Za 5325

DN. JOH. CHRISTFRIED SAGITTARIO, X 2047586

SS. Theologiae Doctor, Facultatis Theologicae Praefectus, Ducatus Altenburgensis Superintendentus primarius


Neptem

REGINA

Kodak LICENSED PRODUCT

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000



nam

ARIA

Præ-Nobilissimi

DN. JOH. AR

orientissimi

DERICI,

Philos. & Medic. in Illustr. Salana

& Botan. provincialis

Nobilissimo, Ant

DN. SALC STO

ellentissimo

AUGU-

J.U. Licentia

no felic.

IV. Non. No

XXXVI.

Pietatem

M. Paulus Martinu

Consist. Aff.

Chalcographæo G. Richteri, Typogr. Duc.

